

B. M. II, 121. 467(2), 16

h. 29, 16.

X 1880411

S.

A. J.



PRINCIPIS SECRE-
TARIUM,

INCL. FACULT. PHILOS.
PHILURINÆ,

AUCTORITATE,
MODERATORE,

M. ADAMO Rechenberg/

S. El. Sax. Alumno,

ERUDITIS

P. P.

IX. CAL. SEPT. A.C. M.DC. LXVII.

JOHANNES GABRIEL Drechsler/

Wolckensteinensis Misnicus, SS. Theol.

& Philosoph. Studiosus.

A. & R.

LIPSIÆ,

Typis JOH. ERICI HAHNII.

V. 5. 6

8. 12 12



HEROI

Magnifico, maxime Strenuo ac Generoso

DNO. HEINRICO HILDEBRANDO

ab Einsiedel/

Toparchæ ac Hæreditario in Scharffenstein/
Weißbach/ &c.

Nec non,

Prenobili, Amplissimo, ac Spectatissimo

DNO. GEORGIO HEISSREICHEN/

ILLI,

Serenissimi, ac Potentissimi Elect. Saxon,

Consiliario Intimo,

Judicii Appellationum Dresdensis

Præsidi Eminentissimo;

HUIC,

Ejusdem S. Elect. Sax. in Redituum negotio

Secretario Gravissimo,

optimeq; merentis

UTRISq;

*Patronis, Evergetis ac Promotoribus suis humiliter
& perenni obsequio venerandis,**Hanc Dissertationem**debiti cultus**ergo*

D. C.

JOHANNES GABRIEL Drechsler/
Autor- Respondens.



Auspice JESU!

Prooemium:



Ametfi, qui in Aulis aliquo munere funguntur, de eo clarius verba facere sciant, quam quos in Scholis tenet speculandi voluptas: Tamen hoc ipso non omnis, quod aliqui rerum, quae in Scholis aguntur, imperiti arbitrantur, deroganda eis venit peritia. Certum est, Aulicos in quotidiano rerum usu occupatos, multa perdiscere, quae nullo systemate politico tradidit in Schola Philosophus: nec etiam tale potuit, cum singulares, & pro rerum vicissitudine emergentes casus, nullus ita praevideat, ut de iis certa tradat axiomata. Nam nec singularium in Politicâ potest haberi, quod Aristoteles dixit, scientia. † Ast in *Academiis* degentes *generalia*, quae ad cuiusque *Aulici* officium spectant, posse definire praeccepta, nullus ambiget, nisi cum *Satyrico* (a) de iis sinistrè sentire velit. Tot libri, qui nostro *Seculo Politicos & Aulicos* dedere eximios, vel solum hoc comprobare valent. Imprimis qui faustâ copulâ, illi universali cognitioni, rerum usum adjungere, ceu proficiendi regula requirit. *Præcedat doctrina*, (puta universalium,) *sequatur usus rerum* ait Joh. Geilfusius. (b) *Judicio enim Aristotelis*, (c) *qui experientia pollent, quod intendunt, citius consequuntur, quam qui*

A 2

† Confer quae Aristoteles de accidentis scientia philosophatur l. XI. *Metaphys.* cap. 7. (a) *Petronius in Satyrico*, p. 47. edit. Francofurt. à Georgio Erhardi: Ego adolescentulos, inquit, existimo in Scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiunt, aut vident. *Vt rursus Plinii de Schola est Judicium*: Schola & auditorium, ut ficta causa, ita res inermis, innoxia est: nec minus felix, senibus praesertim, lib. 2. *Epist.* 3. (b) *Polit. Exercit.* 1. *Qu.* 1. p. 2. (c) *Vid. Aristot. lib. 1. Metaphys. c. 1. ferè in medio.*



qui rationem absq̄, experiētiā habent. † Quare me nullus jure reprehendet, quòd *Principis Secretarium* in Academiā describere susceperim. In generalibus, quæ ad antiquitatem vel ad Philosophiam spectant, occupata erit hæc dissertatio. Ut autem ejus conspectum habeas, L. B. En!

Descriptionem:

Secretarius est minister Principis, qui mandata & responsiones ejus à Consiliariis, & superioribus Ministris dictata, decenter concipit, pro Principis nutu fideliter curat, vel libellos litigantium servat, & interdum adventantium supplicationes Principi exponit.

§. 1. Ut ordinem, sine quo & natura constare nequit, (d.) servemus, à vocis explicatione tractationem ordiemur. Philologi hæc, ut aliis, sine causâ ludunt, derivantes, vel à *Scrinio* (e.) arcâ, ubi secreta Secretariorum servantur; inde antiquis, Perotto teste, *Scriniarii* vocati; vel à *Secretione*, (f.) (voce Cicero ni usitatâ): Missis his lubricis conjecturis, à *Secretis* derivo. Ut enim à *Cancellis Cancellarius*; sic ex Analogiâ Grammaticâ, à *Secretis Secretarius* commodè deducitur, quia is talia curat. Inde unâ dictione *Asecretis* (g) olim dicebantur, qui secreta fideliter custodiebant. *Secretum* verò à *secerno*, *secretum* quod ex verbo *cerno* & ex particulâ separativâ *se* compositum, derivant.

§. 2. *Secretarius* apud antiquos aliis nominibus, quæ hinc inde legas, appellabatur. Ea inter est *Scriba*, qui cum alia, tum rationes etiam publicas, ut docet Festus, in tabulis scribebat. Erat autem annotantibus C. Barthio (b.) & Rosino (i.) diversæ dignitatis & ordinis vox.

§. 3. A-

† Non est quo existimes, ullam mentem aptiorem esse, quam quæ se multis experimentis, longâ ac frequenti rerum patientiâ domuit, quæ ad salutaria mitigatis affectibus venit. Senec. Epist. 69. (d) Scalig. Exercit. II. p. 7. (e) Vid. Martin. Lex. Philolog. sub voce *Scrini*. (f) Dn. Fessel. Advers. Sacr. l. 1. c. 1. §. 4. p. 6. (g) Hincmarus Epist. 3. c. 16. Conf. Meurs. in Gloss. Græco-Barb. in voc. ἀσκητής. (b) Advers. lib. L. c. 1. fol. 2326. seqq. (i) Ant. Rom. Edit. Demisteri, lib. VII. c. 48. p. 748. Erant Scribæ Regii, Quæstorii, Ædilitii, Scribæ Pontificum & militares &c.

379.

§. 3. Apud Græcos γραμματεὺς (k.) isti æquipollere videtur. Licet Græcorum γραμματεῖς, seu Scribæ multò majori æstimatione haberentur, quàm primitus Romanorum; apud quos nemo ex istorum ordine in Senatum legi poterat, ut Jacobus Cujacius, (l.) Vir non vulgaris ingenii notavit. Id quod Cornelius Nepos (m.) confirmat, scribens: *Multò apud Græcos honorificentius est (Scribarum officium) quàm apud Romanos: Nam apud illos nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide & industriâ cognitâ, quod necesse est, omnium consiliorum eum esse participem.* Temporis autem successu apud Romanos eminentior eorum facta est dignitas. Hoc ex inscriptionibus patet: in iis enim *Scribarum* titulis addita vox HON. vel potius vocis particula, quæ *honestam* horum hominum opinionem indicat, & eos velut ex cæterorum promiscuorum censu eximit. Cicero quoq; in V. Verrinâ *Scribarum* ordinem esse honestum affirmat, quòd eorum fidei tabulæ, periculaq; Magistratum committerentur. Exempla quoq; *Scribis* ad majores dignitates aditum neutiquàm fuisse interclusum, ostendunt: Siquidem ex plebe ad literariam dignitatem iis accersitis, non minus Senatûs & curiæ fores patuisse, quàm reliquis sublimiori locò Consulibus, Patritiis, atque Senatoribus natis, constat. (n.)

A 3

§. 4. A-

(k) Luth. hanc vocem à LXX. Interpr. adhibitam in V. T. Es. 36. v. 3. cap. 37. v. 2. & c. & in N. T. Act. 19. v. 35. reddidit Cansler; Et 2. Sam. 8. v. 17. c. 20. v. 25. 1. Reg. 4. v. 3. 2. Reg. 18. v. 18. c. 19. v. 2. 2. Reg. 12. v. 10. 2. Chron. 24. v. 11. Esther. 3. v. 12. Schreber. γραμματεῖς verò, quorum mentio in sacris fit crebrius, alii fuerunt *Politici*; alii *Ecclesiastici*; illi per γραμματεῖς in V. T. potissimum intelliguntur; hi verò in N. T. Ita enim Ludovicus Vives: γραμματεῖς, de quibus multa mentio in Evangelio, hi erant, qui sacrorum librorum literam tantum docebant, nec ab eâ recedebant vel culmum latum. in Not. ad Augustin. de C. D. lib. XVIII. c. 39. fol. 1101. Act. verò c. XIX. de Politico ut accipias, historia svadet. γραφεὺς autem minoris dignitatis nomen erat: nam qui se scribendo sustentabat, ita dicebatur. Vide Glossarium Juris Græci Basili com. à Carolo Labbæo publicatum. Vid. & Barthius l. c. (l) Commentar. ad Pompon. de orig. Juris. (m) In Imperat. XVIII. c. 1. (n) C. Barth. Advers. lib. L. c. 1. fol. 2328. Rosin. A. R. lib. VII. c. 48. p. 749. It. Kirchn, Tract. de Officio & Dignitate Cancellarii, p. 186.

§. 4. Apud Ebræos huic Latinæ voci significatione par est titulus. (o.) סופר המלך *Scriba Regis*, qui literas Regiâ autoritate, ferè ut hodie *Secretarius Intimus*, scripsisse perhibetur. Chaldaus דמלכא לכלרין reddidit citata verba סופרי המלך h. e. *Notarios Regis*. Nam quos *Notarios* vocamus, in Talmud לכלרין dicuntur. Tales verò convenire officio, cum hodiernis *Secretariis*, qui à secretis, vel ab Epistolis sunt Principibus, Clar. Dn. Feselius (p.) censet. Aliàs non ignoramus, tam apud Syros, quam Ebræos סופר notare Legisperitum, *Legis Doctorem*, ut Leusdenius, (q.) & *Theologum criticum*, qui sacr. Scripturam criticè tractat, ut Clar. Hottingerus, (r.) meliori fato dignus, quam qui aquis mergeretur, docent. Simul enim Legis Doctoribus, legem scribere incumbibat. Clariss. Dilherrus (s.) hâc voce in genere *Sapientes Doctores*, & Magistros significari tradit. Qui verò hinc ex Ebræo סופר Græcorum σοφός deducere audent, ludunt pueriliter.

§. 5. *Secretioris Scrinii Magister* idem cum hodierno *Secretario* notare aliquibus videtur: Ast potius ex Kirchneri (t.) datâ hujus descriptione, *Cancellarium*, hâc descriptione venire posse autumo; nam ei, ut apud Siciliae Reges imprimis, hodiè apud nos præcipua rerum commissarum cura incumbit, & is magis, quam cæteri diligentiam ac sollicitudinem rebus, quibus præest debet. *Secretarum scripturarum Custodes* (u) commodius hodiè appelles *Secretarios*. Item, qui simili *Secretarii* munere olimungebatur, *Notarius* audiebat, quòd *notis* scriberet, & iis verba dictantis compendiariò (ut Senecæ verbo utar,) exciperet. Lolius Urbicus (x) Historicus describit hunc, quòd *is sit, qui privata scripta alicujus digereit, quique alicui velut amanuensis est*: ferè ut Ulpianus l. 2. ff. de extraordin. cognit. his æquipolluisse ple-

(o) Esther III. v. 12. (p) Advers. Sacr. l. 1. c. 1. §. 4. p. 7. (q) Leusd. in Philol. Hebræo Dissert. LX. p. 74. Vid. Carolus Sigonius de Republ. Ebræorum. (r) Hotting. Thes. Philolog. l. 1. c. 2. sect. 1. p. 74. (s) Dilh. in Eclog. sacr. p. 74. seqq. (t) Kirchn. Tract. cit. lib. 1. c. II. p. 29. † Scrinia illa describit Jo. Theodor. Sprengerus in Christiani Orbis perspicillo p. m. 187. (u) Martin. in Lex. Philolog. sub voce Scrinii. (x) Rosin. A. R. lib. VII. cap. ult. p. 752.

plerunq; *Scribam & Actuarium* C. Barthius (y) animadvertit. Dixi *plerunq;*: nam si accuratè rem consideres, *distineta* officia illa nomina significabant. Græcis σημειογράφος, quod σημείοις scribat, dicitur vel etiam ταχυγράφος, & ὀξύγράφος, à scribendi velocitate, de quâ lectu digna H. Salmuth (z) congeffit, ut & Wowerus. †

§. 5. Hoc *Notarii* Nomen etiam illis, quorum scribendi opera in bellis opus habebant Imperatores, tribuebatur: illi apud nos *militares Secretarii* vocantur. Patet istud ex Cassiodori (a) verbis: *Notarium te nostrum esse censemus, ut ordine decurso militia ad primiceriatûs pervenias summitatem.* Is hoc honore impetrato, *Primicerius Notariorum* (b) est dictus. Hodiè *Protonotarium* vocares. Sylvius (c) suâ ætate talem apud Germanos *Secretario* parem facit.

§. 6. *Librarii* nomen non multum à *Notario* differebat, (d) nisi quòd *Librarii* scribebant literis; *Notarii* verò, quod diximus, per notas & compendia verba dictantis excipiebant. Illi Græcis καλλιογράφοι & βιβλιογράφοι dicebantur. Erant verò librorum, contractuum, & pactiõnum scriptores: quandoque etiam castris adhibiti, rationes ad milites pertinentes in libros referebant, ut Rosinus (e) & Martinius (f) habent. Varro (g) etiam Scriptoribus Villaticis tribuit.

§. 7. Nostrò tempore, ubi quilibet Principis Ministrorum titulos venatur, sibi *Secretarii* titulum vulgares *Scribones* (quam vocem apud C. Barthium lego) sumunt: cum tamen nunquam *secreta*, quæ pondus inest, ipsis curanda tradantur. Ab Oratoribus, cum appositò meliori jure *Moses*, *Secretarius* Dei sæpius appellatur, quia præter ipsum cum nullo mortalium Deus (h) פה אלהים locutus est.

§. 8. Post

(y) Advers. lib. I. c. 1. fol. 2326. (z) H. Salmuth. ad Pancirolli Nova Reperta, Tit. XIV. p. 645. † Tr. de Polymath. quam non ita pridem ὁ πολυμαθῆς Dn. J. Thomafius, Præceptor noster suspiciendus edidit, c. V. p. 49. (a) Cassiod. l. V. Epist. 16. (b) De Primiceriatûs dignitate B. Reinesius agit Var. Lect. l. III. p. m. 6171. (c) Sylv. Epist. 288. (d) Auf. Popma l. 3. de diff. verbor. (e) A. R. lib. VII. c. 48. p. 748. (f) in Lex. Philolog. in hac voce. (g) Varro in de Re Rust. l. 3. c. 2. (h) Num. XII. v. 8.



§. 8. Post Nominis *explicationem*, res evolvenda est: ubi *Generis vicem* sustinet *Minister*, quippè pluribus, qui Principis negotia curant, communis. Becmannus (i) à manu dictum prius *Manister* putat, deindè *a* in *i* mutatò, *minister*, ut à *magus* (quod olim idem, ac *magnus*,) *Magister*, factum. Cui placet hæc Etymologia, arripiat. Rem explicabo: *Minister* servo, lingvæ consuetudine plerunq; opponitur: servorum enim conditio, quam afflicta olim fuerit, vel ex Justiniano (k), qui de iis leges tulit, patet: & adhuc hodiè vilioris conditionis homines, qui sordida servitia curant, eo nomine insigniuntur. *Minister* contra liberam personam penes eminentem Dominum munere honorato fungentem, imprimis hodierno stylo, significat. Hinc monstroso superlativo nostro seculo auctum, ut Ludovici XIII. (l) Intimus Consiliarius Armandus Derichelieu; & Ludovici XIV. Intimus Consiliarius, Mazarinus Cardinalis *Ministrisimè* appellarentur.

§. 9. *Principis* autem *Ministros* appellamus, quia ab his eliguntur, & iisdem à ministerio sunt. Hodiè quidem non omnes *immediatè* Principi ministrant, cum *multa Collegia* propter ordinem servandum, sint instituta, quæ operam suam dicere, Principis institutione, Secretarios oportet. Nam ut omnium ministeriorum & officiorum in Rebus publ. modò crescentibus, vigentibusq; , modò decrecentibus, & concidentibus, dignitatum deniq; Magistratum, potestatum, versis veterum moribus, magna differentia facta est; ita & *Secretariorum*.

§. 10. Olim enim *Secretarii* immediatè Principibus, ferè ut hodiè *Cancellarii*, quippe majori dignitate conspicui, ministrabant. Nam * Cranzius antiquitatis Germanicæ peritissimus, *Primum & Intimum Secretarium* testatur, Saxonum Imperatorum ævo fuisse eum appellatum, quem ætas nostra vocat *Cancellarium*, adjecta verbi hujus ratione, quòd per † Cancellos præ multitudine negotiorum & interpellantium consueverit appellari. Nominat

(i) de Origin. LL. p. 641. (k) Justinian. Institut. Tit. III. de J. Pers. (l) Vid. liber Autoris Anonymi, de Ministerio horum Cardinalium. * Cranzius Metropol. l. 3. c. 16. † Confer Christoph. Besoldi Thes. Practic. lit. C. sub voce Cansler. p. 152, edit. in 4t.

353

minat ibidem ille Adaldagum, Virum nobilem & industrium, qui *Primus & Intimus Secretarius* trium Ottonum extitit. Quo quidem Secretarii nomine, inquit Kirchnerus, (m) video etiam in Henrici Aucupis Imperatoris curia, Virum longè prudentissimum Magistrum Philippum, qui Princeps & Auctor veteris ludii equestris (Torneamenta vocarunt,) fuisse legitur; imò *anima & os*, atq; *oraculum Regis*. Et posteriori tempore Felix Faber in Svevicis Histor. Æneam Sylvium, Cancellarium Friderici III. Imperatoris, nominavit, qui se ipsum passim in Epistolis suis (n) *Secretarium* inscripsit. * Rein. Reineccius, quidem ante hos Adrianum Imp, primum omnium Equitibus Romanis ab epistolis & libellis usum esse, refert: verum jam Neronis tempore Torquatium Silanum, *nobiles* ab epistolis habuisse, nobis ex Tacit. l. 15. annal. c. 35. *Poly-histor* Dn. Prof. Frankensteinus, *Præceptor noster in oculis ferendus*, suggestit. Henricus Junior Dux Brunovicensis D. Matthiâ Helden usus est tanquam Secretariò, de quò controversia propter ejus læsionem inter Landgraviû Hassiæ & dictum Ducem orta est, quam ap. Hordl. l. 4. c. 6. n. 48. legas. Theodoricus aut Alaricus Rex Gothorum Secretarium habuit Anianum, qui Sententias Pauli Jcti in compendium redegit, quod magna apud barbaras gentes autoritate & existimatione habitum est, teste C. Barthio Advers. Lib. XLVII. c. III. fol. 2128.

§. II. Ita Caroli Magni ætate *Secretarii* munus hodierno *Cancellarii* officio non fuit inferius. Nam Eginhardus ejus *Secretarius*, & Secretioris scrinii Magister, non verò Gener ex furtivo amore Immæ fuit, ut hanc fabulam cum Chronico Lauris-hamensi multi texuerunt, & post Baronium (o) *Polyhistor* Joh. Heint. Bœclerus (p) observavit. Qui de Ekkehardo Juniore etiam refert, (q) quòd Ottonis I. Imperatoris *Secretarius* fuerit, & Ottonis Filii *Præceptor*. Nunc ferè apud Svecos *Secretarii status*, qui Cancellario aulico & Regni Cancellario, † Sprengero teste, sunt adjuncti, veteribus istis æstimatione sunt similes.

B

§. 12. Ho-

(m) Kirchn. lib. 1. c. 2. p. 18. seqq. (n) Vid. Kirchn. l. c. * Reinecc. In Tract. de histor. dignit. fol. 18. (o) Baron. ad Ann. 805. Tom. 9. ad Ann. 826. (p) In Comment. Seculi à C. N. IX. & X. per seriem Germanorum Cæsarium, p. 5. (q) l. c. p. 326. † Sprengerus in Perspicill. Orbis Christ. p. 186.

§. 12. Hodiernò autem tempore tam officii, quam dignitatis intervallò *Cancellarius* distinctus est ab antiquis Cancellariis, quos veteres Imperatores cancellis continebant, & Judicum, ac Præsidium erant administrati, ut hodierni *Secretarii*. Talem per *Υραμματέα*, Act. 19. v. 35. quem Lutherus Cansler reddidit, & 1. Paralip. 28. v. 32. officium judicandi, & alia dignitatis nomina ibidem expressa, intelligere non permittunt.

§. 13. Nostris jam moribus *Secretariorum* dignitas, si ista tempora respicias, imminuta est. Nam quod in descriptione expressimus, *mandata*, & *responsiones Principum* à Consiliariis dictata potissimum curant. Illa verò Princeps (ut Justiniani (r) verbis utamur) vel per *Epistolam* constituit; vel cognoscens decernit; vel edicto præcipit. Per *epistolam* Principis rescriptum, quo de jure consulentibus, vel etiam supplicantibus respondet, intelligas: per *decretum*, Principis constitutionem, quam cognitâ causâ & partibus auditis edidit: Per *edictum*, quod Princeps motu proprio, ἐξ ὀικείας Φύσεως κινηθεὶς constituit ad honestatem & subditorum utilitatem. Conferas hîc Commentatores in Institut. (s) Licet autem forsân aliqui aliis utantur vocibus, rem tamen nobiscum eandem tenebunt.

§. 14. Mandata verò Principis à Consiliariis dictata *Secretarius* sine sollicitudine concipit. Nihil enim ad ipsum, sive Galba (t) à trium arbitriò regatur, (h. e. dictata Consiliarios magis, quam Principem habeant autorem,) sive Princeps omnia tribuat Consiliariis, ut Franciscus II. (u) Franciæ Rex Gvisianis, vel ut Carolus V. (x) Gonzagæ, Meudozæ, & Episcopo Atrebatensi. Principes etiam mediatè jubent, non disputant (y)

§. 15. Esse hoc *Secretarii* officium, *Aulicorum officiorum Peritissimus*, & *Nobilissimus Vitus Ludovicus à Seckendorff* / (z) docet scribens: Der Secretarien Ampt ist / daß sie das jenige / was in der Rathstuben geschlossen / und Ihnen daselbst anbefohlen /

(r) Justin. Instit. l. i. Tit. ii. de J. G. & N. §. 6. (s) Arnoldi Vinnii Not. in Instit. l. c. auctas à Dn. D. Norico. (t) Sveton. in Galb. c. 14. (u) Thuanus l. 24. 25. (x) M. Anton. Grat. l. i. de bello Cypr. (y) Forstnerus in Not. ad Tacit. part. i. p. m. 34. (z) Von teutschen Fürsten. Staat. part. II. c. 6. §. 12. p. 63. Vid. & C. Barth. Advers. l. c. fol. 2327. & 2329.

355.

len / oder in der Schriftlichen Registratur der Rathschlüsse ihnen übergeben wird / in gebührliche form / und gewöhnlichen stylo oder Rede / und Schreib-Art der Cancellen jedes Hofes zu Papier bringen / und concipiren / es sey nun Befehle ausschreiben / Resolutionen auff kommende supplicationen / Abscheide / Wechsellung : imgleichen haben sie in der Rathstuben das Protocoll / oder Niederschreibung dessen / was die Parthenen / und andere vorbringen / zuführen / und sonsten mündlichen Andeutungen / und Vorträge auff sich zunehmen / die ihnen in der Rathstuben aufgetragen werden ; An etlichen Orten pflegen sie auch die Schlüsse der Rätze dem Land-Herrn allein zu referiren / welches aber anderswo nicht geschicht / sondern vielmehr für einen Mißbrauch gehalten wird. *Quæ verba Summi Viri , hûc adscribere placuit , qvòd summam Secretarii munus describant.*

§. 16. In multis sic Romanorum *Scribis Publicis* , & *Actuariis Publicis* sunt similes : illi enim hinc *Exceptores* dicebantur , de quibus Rosinus , (a) qvòd , quæ publicabantur è gestis , & in ea referebantur , consignare consveti. Horum officium erat , inquit Barthius , (b) vel ad id certè pertinebat , quæ Magistratus è scripto volebat publicata , publicè populo prælegere , & præconi subjicere edicenda ; quâ de re confusa , sed facilè ad auctores suos referenda , non pauca notavit qvondam Phil. Beroaldus , Doctissimus homo , sed judicio nonnunquam impedito. Apud illos quoq; literæ , quibus securitates , quæ à Principe è publico , aut aulâ de annuo stipendio , aut alio concessio bono accipiendo datae , custodiebantur. Vide Barthium , in qvò , qvòd ipse in Beroaldo , quoq; desideres. Nec adeò Ebræorû מִשְׁכָּל־הַדָּבָר dissimiles videntur , quorum officium , Magno Gerardo (c) observante , erat Regum , Principum , Judicum , atq; omninò ipsius Magistratus Politici placita , decreta & edicta scribendo excipere , excepta ad populum divulgare , & pronunciare , veluti ex multis locis (d) S. S. demonstrat.

B 2

§. 17. Pro

(a) A. R. lib. VII. cap. ult. p. 751. (b) l. c. (c) Loc. Theolog. Tom. 6. p. 766. & Harmon. Evangel. fol. 1775. It. Fesselius , Advers. sacr. lib. I. c. 1. §. 9. p. 12. seqq. (d) Loca habentur : Num. XI. v. 26. Deut. I. v. 15. c. XVI. v. 18. c. XX. v. 5. 8. 9. c. XXIX. v. 10. c. XXXI. v. 28. Jos. I. v. 10. c. III. v. 2. c. VIII. v. 33. & c.

§. 17. Pro materia verò, & objectorum, quæ mandata & responsiones Principum concernunt, diversitate, diversa *Secretariorum* oriuntur cognomina. Id laudatus Heros (e) dicto libro exprimit sequentibus verbis: Nachdem aber [der Geschäfte] mancherley sind / so werden auch bey denen Cankelenen die Ber- richtungen unter den Secretarien unterschiedlich befunden: denn wo besondere geheime Rätthe sind / da werden auch geheime Se- cretarien / und Canzelisten gehalten / sind aber solche Sachen gleich in einer Rathstuben zusammen geschlagen / so ist ein gewisser Cammer- und geheimer Secretarius zu den Stats- Reichs- oder -Kriegs Sachen: ein ander zu den Lehns- oder Adels-Sachen: ein ander zu den Gerichts-Sachen / und nach Gelegenheit des Landes / einer zu den Sachen dieses o- der jenes Crenses und Bezircks im Lande / oder andere zu andern bestellt.

§. 18. Quod horum *stylum* & scripturam attinet, ad nos scribere non spectat. Qui hoc officio aliquamdiu sunt defuncti, optimè aliis præscribere possunt. Et hodiè multi libelli quoad *stylum* Secretarium informant, in bibliopoliis venduntur: tali namq; peritiâ cum orthographicè, & Logicè, tum Politicè scri- bendi *Secretarius* sine suo damno carere nequit. *

§. 19. Præterea duas in *Secretario* virtutes requirimus, quæ ornamento non solum insigni, sed vel maximè etiam eidem sunt necessaria: una est *alacritas*: *fidelitas* est altera: His qui stipatus Principi servit, munere suo rectè se esse functum gloriari potest.

§. 20. *Alacritatem* verò dum dicimus, animi promptitudi- nem volumus, ad parendum non solum Principis mandatis, & e- adem curanda; verum quoq; ad indagandum apud adversarios, quod suo Principi proficuum esse queat. *Secretarii munus*, in- quit Marselaer, (f) *Legati* (Principis) *secreta tacere*, & quæ alio- rum sunt sagaciter indagare, ac velut odorari; tum quasi prædivi-
nare,

(e) l. c. von teutschen Fürsten- Staat. * Apertè, clarè & dilucidè sine confusione, & distinctè ut scribant, requirit Petr. Gregor. Tholosanus de Republ. lib. XIV. c. IX. in initio p. m. 1136. Consuli hinc poterit Harsdorff. Teutscher Secretarius. (f) Frid. de Marselaer, de Legato, l. 2. Dissertat. XVI. p 384. seq.

nare, quid in literarum dictamine, ac responsis Domino in mentem venire debeat. Cujusmodi felicem solertiam, industriamq; aliquando vidi, & novi in eo, qui inspectis vel semel literis, quæ aliunde, etiam super rebus gravissimis adferebantur, protinus pro dignitate negotii acutè, succinctè, sententiosè, non tardius responsum scripserat, quàm respondendum esse statuerat Legatus: adeò ut hujusce potissimus labor videretur auscultare & subscribere. Prudentiâ directrice hîc opus est. Curiositas enim nimia in explorando quandoq; exitiosa est. Nemo sine certo exitio Tiberii sensuum abdita explorare poterat, ait Dio Cassius. (g) Ista ingenia rapida, atq; ut cursores, expedita deprehenduntur inefficacia. Contrà verò vitanda est nimia socordia, & indiligentia, veracia signa hominis improvidi & ingenii segnis & socordis, judice Carolo (h) Paschaliò. Cunctari verò in Principum rebus expediendis minimè licet: parva enim mora sæpenumero periculosa fuit. Ahasveri Monarchæ, cujus sacer Codex mentionem (i) injicit, hîc Secretarii in alacritate imitandi sunt.

§. 21. Hæc alacritas cognoscitur, si in dicendo argutus, in respondendo promptus, & accipiendo cautus est. Magno autem acumine & subtili ingenio non est opus. A magnis ingeniis non rarò aliquid ultrà vel supra ingenium. Inqvies animi nescio quid turbinis, aut mali moris presagire facit, pulerè laudatus Marselaer cit. loc. Subtilia ingenia novandis rebus, quàm gerendis aptiora, dubiis & periculosis expediendis negotiis adhibenda esse censet Forstnerus. (k)

§. 22. Alterius Virtutis nomen ipsum, Secretarium admonet. Ea nomina maximè bella, ait alicubi Plato, quæ ipso sono quemq; sui officii & studii admonent. Atq; tale est Secretarii, quod taciturnitatem, quæ fidelitatis pars, tali Ministro in memoriam revocat. Inter alia saluberrima monita, (l) quibus Optimus Pater Leo imperat. Filium ad Imperii successionem instruit, pulcherrimum est hoc, cum ait: In rebus & abditis fideles adscisce tibi,

B 3 & tem-

(g) Dio Cass. l. 57. (h) Car. Pasch. de Legato c. XXI. p. 135. (i) Esth. III. v. 12. seqq. (k) in Not. Polit. ad Tacit. part. 1. p. m. 545. (l) Vid. Observat. Historico. Polit. Piccarti, Decad. VII. c. IV. p. m. 18. seqq.



*Et temperantes Viros, ac taciturnos, Et omninò qui in tuâ, Et non aliorum potestate sint.**

§. 23. Hoc Legatis, ut in *Secretariis* attendant, inculcat Carolus Paschalius, (m): *Inter Comites plerunq̄, eminent is, quem vocant ab Epistolis, aut Secretis. Qui herculè (ita jurat,) non temerè est adsumendus, sed prius explorato, an pluris apud eum sit fides, quàm merces, ne, ut trutina, eò propendeat, ubi plus positum fuerit. Hunc velim eligi patrii germinis hominem; cujusq̄, spes omnes claudantur intra charitatem suæ Reipubl. Ne locatam fidem non diutius retineas, quàm quandiu dando & pollicendo facis tuam. Sic olim Senatus, sic Reges Persarum omnibus provinciarum præfectis Regios scribas dare soliti, cujus moris hodiè retinens est Senatus Venetus. Vid. Carol. Paschalius.*

§. 24. *Res magnæ sustineri non possunt ab eo, cui tacere grave est, benè Curtius. Metelli & Petri Arragonii exempla sequenda, qui tunicas in ignem abjicere, si consiliorum, & secretorum suorum gnaræ essent, minabantur. PP. conscriptorum arcana, consilia, quòd Senatores multis seculis inter Romana incunabula non evulgaverint, laudat Scribanius. (n) Nec immeritò: Plurimos enim Secretorum profanatio perdidit. Exemplo est Fabius Maximus apud Tacitum & Plutarchum περι ἀδολεσχίας. Vide sis Forstnerum. (o) Et ne suspicionem apud Principem incurrant, familiaritas, cum aliis, qui ei displicent, vitanda est Secretario: Apud Venetos, eodem Forstnerò (p) teste, nullum majus piaculum est, quàm nimia cum Senatoribus, & Secretariis familiaritas.*

§. 25. Hinc prudenter constitutum est in Imperio Romano-Germanicò, nullum à statibus Imperii ad excipiendam propositionem à Vice-Mareschallo dictatam, *Secretarium* admitti debere, nisi taciturnitatis juramentum prius, quàm accedat, Principi

* Generaliter hoc svadet Seneca de Tranqvill. Anim. c. 7. Si in amicorum legendis in geniis damus operam, ut quàm minimè inquinatos assumamus, quantò potiore ratione Principibus curæ debet, ut domestici ministri sint tales. (m) Carol. Paschal. de Legato c. XXXII. p. 197. (n) Scrib. in Polit. Christiano l. I. c. XVI. p. 119. seq. (o) in Not. polit. ad Corn. Tacit. p. I. p. m. 26. seqq. (p) l. c. p. 33.

359

pi suo præstiterit, se nihil evulgaturum esse, quæ dicuntur. Mandatum de juramento, sine quo Secretarius ad describendum non admittitur, recenset Domin. Arumæus. (q)

§. 26. Viderunt enim, quantum momenti in hac officii parte positum sit, quantum studii & cautionis, si vel secreta eliminentur, vel etiam literæ, in scio Principe, dolo aliquo Secretarii operâ concedantur. Exemplum Imperatoris Sigismundi ætate habemus, quod in totâ Germaniâ pervulgatum est, de quibusdam literis, ex Imperiali Cancellariâ datis, quæ gravissimam contentionem illam de Ducatu & Electoratu Saxonie attinebat: illas enim injussu suo, malâq; fide & scriptas esse à *Secretariis*, quos Cancellarius à Passau, & Conradus à Wenisberg habuerunt, & signatas, gloriosissimus Cæsar affirmabat, ut habet Georgius Spalatinus. (r) Exempla alia habet Petr. Gregor. Tholosanus l. c. p. m. 1138.

§. 27. Hinc patescit, quod etiam in annuli, atq; sigilli commissione *fidei & amoris* argumentum contineatur: Alexander Magnus certè, ne quidem Hephæstioni suo, quem aliàs unicè fratris instar amabat, Curtio (s) teste illum, concedere voluit ut inde mirari quis posset, cur Trogo Pompejo Caji Cæsaris in militiâ merenti, juxta cum epistolarum, atq; legationum curâ, annuli Imperatoris fuerit concessa, ut scribit Justinus ex Trogo. (t)

§. 28. Intutum prætereà est scribere, quæ Principem offendere possunt, benè monet Chockier. (u) Non laudi est Antonio Primo, quod nec sermonibus temperaverit, & immodicus linguæ & obsequii insolens, literas ad Vespasianum composuerit jactantius, quàm ad Principem. (x) Immodicæ linguæ usus Ducis Gvishi *Secretario* pœnam attraxit, ut habet Traj. Boccalinus. (y)

§. 29. Ad alias virtutes, quæ in conversatione, & rerû suarum actione *Secretarium* commendant, pergerem, nisi Georgius Lauterbeckius ex Beroaldo (z) versibus istas comprehendisset sequentibus:

Dici

(q) Dom. Arumæus de Comitibus Romano-Germanicis, Tract. c. 7. p. 475. seq. (r) Spalat. Chronico Germanicò vom Herkommen der Churfürsten/ und Fürsten des Hauses Sachsen/ im 2. Titul. (s) Curtius lib. X. c. IV (t) l. 40. (u) Chockier Thes. Polit. Aphorist. l. 3. c. 16. p. 303. (x) Tacit. 3. Hist. (y) in Polit. Probststein/ Relationi ex Parnasso addito, p. 672. (z) Lauterbeckius in Tract. vom Hoffleben/ in operib. fol. 318. Vid. Besold. Thesaur. Practic. p. 152. edit. in 4t. & noviss. fol. 140. sqq.

Dicitur qui cupit optimus bonorum
 Scribarum, & viridem tenere palmam
 Inter decurias recentiorum
 Monstrari digito, omnibus placere,
 Sit prudens, facilis, bonus, fidelis:
 Intra pectora sanctiora condat
 Secretum sibi creditum, nec ulli
 Promat, sit modici, brevisq; somni:
 Nullos difficiles putet labores,
 Sit cultor Domini, frequens Palati,
 Primus ventitet, ultimus recedat:
 Sit rerum veterum, ac recentiorum
 Thesaurus probus, atq; literatos
 Scribat versiculos, Epistolasq;
 Facundas, nitidas, breves, apertas,
 Crebris sensiculis scaturientes:
 Nullas stultitias, ineptiasq;
 Nulla & barbara verba continentes,
 Sit velox manus, expedita lingua,
 Quæ nunquam calamum moretur acrem,
 Huic sit vita secunda, sermo comis
 Urbano sale, & Attico lepore
 Fartus, non sine sanctitate avitâ.
 Verbo, si fugiat notam malignam,
 Paucis expediens, agenda verbis. &c.
 Vide Besoldum l. c.

Hoc carmine finientes, Deo nostro per Christum gratioso,
 gratias, quas humana mens concipere potest, pro exhibitâ gratiâ
 agimus maximas.

D. S.

Corollaria.

Friedericus II. imperat. non fuit atheista, ut J. Lipsius l. 1.
 Monit. Polit. c. 4. ei imputat: fictum esse contendit Pe-
 trus de Vineis l. 1. Ep. 31.

Con-

261.

Consules Romanos in officio per integrum annum mansisse
ex Flori lib. 1. cap. 9. ex Seneca l. 1. de Ira cap. ult. ex
Tertulliano L. de Patientiâ in fine, (ubi unius anni vo-
laticum gaudium appellat.) colligi potest.

Imperatores Augusti ab augendo etiam dici possunt: Hinc

Germanicè: *Allezeit Mehrer des Reichs.*

Torneamenta & bastiludia à Principe ad exercendos equites,
ut olim, ita hodiè posse institui, rectè quidam statuunt.

Crucis supplicium (haut dubiè propter S. crucis veneratio-
nem) Constantinus sustulit Sozom. l. c. 8. ad fin.

Qui genus loquendi, κατὰ τὸν ἔσω ἀνθρώπων, & κατὰ τὸν ἐνὸς
ἀνθρώπων, Platonicum (Plato l. 9. de Republ. p. 589. vid.
Camerar. in Notat. Figur. N. T. p. 13.) idem esse cum
loquendi genere Paulino, in Epistolis usitato, arbitran-
tur, vim inferunt Theologia.

Levis causa erat, quod Regum Persarum ministri vel servi
à latere, immortales fuerint vocati; quia si unus mo-
reretur, statim alius in ejus locum fuerit successus.

Proconsul apud Romanos non erat is, qui vices consulis gere-
bat; sed qui consulatu functus in provinciam abibat,
& proconsulari imperio regebat.

Imperator exercitûs apud Romanos αὐτοτελή τινα ἐξουσίαν ἔ-
χευε.

Ut Latini Autores, Vivere absolutè positum, pro voluptate
frui accipiunt: ita & in S. Scripturis quandoq; accipi
posse videtur.

Verela, quam nostri animarum Pastores de vestium luxu
ingeminant, & olim Tertulliani in Apologet. c. 6. p. 9.
fuit: Quoniam illæ leges abierunt sumptum & ambi-
onem comprimentes? &c.

Verè M. Antoninus apud Vulcat. c. 2. ad Verum Collegam, de
Cassiò scribit; si divinitus ipsi debetur Imperium, non
C pote-

poterimus ipsum interficere, etsi velimus: scis enim
proavi tui dictum: Successorem suum nullus occi-
dit. Vid. B. Danb. Gamal. Hebraeo-Teut. p. 13.

An Rolandi magnitudo tanta fuerit, quanta hodie describi-
tur, merito dubitatur.

B. Lutherus non sine ratione Tom. 8. Jenens. im Buch von
den Juden und ihren Lügen/ Judaeos è Republicâ
Christianâ ejiciendos esse censet.

Quod Vandali olim in convivis & comotationibus suis pa-
teram certis verbis consecraverint, ut habet Cranzius
l. III. Vandal. c. 37. id cultum Numinis apud eos fuisse
in usu, arguit.

A solis armis magna quidem sed brevis potentia; à pacis stu-
dio parvum, sed fidum & diuturnum est imperium.
Vide Forstnerum ad Tacit. Not. p. 585.

Quod Petr. Gassendus lib. de Anima c. 3. statuit animam sen-
sitivam esse quandam flammulam, ignisve tenuissimi
speciem, id dubio procul ex Democrito & Zenone, à
quibus etiam hominis anima igneae substantiae habita
est, ut nuperrimè demonstravit Excell. Dn. Prof. Jac.
Thomafius in Disput. de Morte in undis.

Deridendus est Job. Baptist. van Helmont. derisor aliàs Ari-
stotelicorum, quod tract. de terra tremore, sub fin. ex
Matth. 28. v. 2. vult probare causam, omnis terrae mo-
tus esse Angelos.

Dracones alatos dari probat experientia contra Ammianum
vid. Jonst. l. 2. de serp.

Lux est natura prior sole.

Poëta ad aurium voluptatem exerrans extra verum, -- in-
nocentis potius ludi, quàm inverecundi mendacii res
est; Venuste Barclajus sentit. lib. III. Argenid. p. m. 291.

Sine

Sine pregnantiratione enunciationibus exponibilibus additur Enunciatio discrepativa.

Spiritus, quia Spiritus non habet principia.

Iustitia in monumentis vetustatis depicta aut fabrefacta, fusave metallo cum libra, eleganter iudices officii monet. Confer C. Barthii Adversar. l. IX. c. XIX. f. 451.

Quod Pacianus Barcelona Episcopus Epist. ii. de confusione ad Babyloninm linguarum, eas in centum & viginti exiisse, scribit: Medis, Aegyptiis, Hebraeis sua lingua est, secundum copiam Domini, qui eam in centum & viginti ora modulatus est. Et infra. Præter has C. & XX. linguas, fuit & adhuc alia Mufarum, ut C. Barthius Advers. l. XLIII. C. XXIX, fol. 1983. habet, Dubium est. Arnobius Rhetor commentario in Psalm. CIV. 72. linguas per successiones filiorum Noë colligit.

Notariorum Episcoporum (qui & nomenclatores, quod illis à memoriâ essent, dicti) non tam vilis, ut hodiernorum Notariorum publicorum fuit dignitas. Hoc probat Barthius ex Monacho Egolismensi in vita Caroli M. Adversar. l. LXII. C. X. fol. 2445.

HUc aliquis, secreta Ducum qui scribitis, adsit,
DRECHSLEROQ; meo præmia digna ferat.
Præmia quæ? Dicam. Diploma Ducale, quod
illum

Officio admoveat, pauperiemq; levet.

*Auditori suo dilectissimo bonæ
scævæ ergò scrib.*

*L. Fridericus Rappolt,
Poës. Prof. Ordinar. & Theol.
Extraordinar.*

Ad



ITK 4927

Ad Literatiff. Dn. Respond.

Aula Scholæ cedit. Nam Secretarius Aulæ
Egressus cathedram scandit, Amice,
Tuam.

Hoc qui miraris, magis admirare, tueri
Aulicum ut hic possint pulpita nostra Virum.
Gratul.f.

M. Valent. Alberti, Prof. Publ.

Olim ecquis, nunc ecquis Secretarius, ecquæ
Virtus, & cultus Nominis hujus erat,
Ostendis, Drechslere, Tuis pro viribus, insta,
Sic benè susceptum continuabis iter.

M. Andr. Beyerus,
Lyc. Freiberg. Contr.

Ad literatissimum
S. Dn. Resp.

Insta, & Terebus serva, Drechslere, secundis;
Fortunaq; supra fulmina tolle caput.
Principium factum est. Deus, & Par grande Viro-
rum

Pauperiem possunt, crede, juvare Tuam.

avθξεδ.

Exercitii hujus

Præses.

F I N I S.

konf

348-

qui na
repre
bere
lofoph
consp

SEc
fio
decen
bellos
catio

ferven
logi h
arcâ,
to test
ni usit
enim
Secret
de unâ
ter cul
bô cer

inde le
ration
Erat a
dignit

† Non
tis expe
ria miti
p.7. C
Adverf
in Glof
2326. fe
bæ Reg

te me nullus jure
Academiâ descri
qvitate vel ad Phi
o. Ut autem ejus

ndata & respon
Ministris dictata,
ter curat, vel li
antium suppli

nstare nequit, (d.)
ordiemur. Philo
s, vel â Scrinio (e.)
le antiqvis, Perot
f.) (voce Cicero
Secretis derivo. Ut
â Grammaticâ, â
s talia curat. In
qui secreta fideli
tum quod ex ver
am, derivant.
minibus, quæ hinc
qui cùm alia, tum
tabulis scribebat.
osino (i.) diversæ

§.3.A-

e, quam quæ se mul
omuit, quæ ad saluta
Scalig. Exercit. II.
nii. (f) Dn. Fessel.
3.c.16. Conf. Meurf.
erf. lib. L. c. 1. fol.
8. p.748. Erant Scri
militares &c.

